



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 8. Gigantéæ staturæ homines curiosorum voluptas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

Siquidem unus est Creator omnipotens, & Eccli. 1. 8
rex potens, & metnendus nimis, qui sapien-
tiam suam effudit super omnia opera sua, &
super omnem carnem, secundum datum suum.

Igitur, quicumque vis sapere, Iustifica pusil- Eccli. 5. 18
lum & magnum similiter. Magna sunt cæli
decora sol & luna, sed minùs ornata esset
illa domus beatorum, si non etiam mino-
ribus ignibus vndique exsplendesceret.

§. VIII.

Gigantèa statura homines curiosorum vo-
luptas.

Hic ornatus enormi etiam proceritate
perficitur: adeò vt à satrapis multis, iti-
dem inter exquisita, gigantes ingenti pro-
digalitate alantur. Omitto ceteros, infra
inferendos, hîc sufficiet Maximilianus Ce. Surlus in
sar, qui, An. 1511. vt loquitur Surlus, Còment.
comitia indixit, apud Augustam, ubi illi obla- An. 1511.
tus est vir quidam prodigiosa vastitatis & cras-
situdinis, atq; incredibilis ingluuiei: ita vt in-
tegrum vitulum crudum, vel ouem incoctam
vnà deuoraret; & tamen necdum famem ex-
pletam diceret. Ferunt hominem Borealibus
regionibus ortum fuisse, ubi, ob locorum frigo-
ra, solent homines esse edaciores. Similem re- Zonarae
fert Zonaras mulierem Thracem, sub Iu- in Iustis
stino no.

Solin. c. 4.
& cap. 25.
De maiore
re puella
vide Vin-
cent. l. 31.
c. 125.
Tho. Faz.
dec. 1. l. 1.
c. 6. & dec.
2, lib. 1.
cap de re-
bus Sicu-
lis.

S. Augu-
stin. l. 15.
de ciuit.
c. 9.

A. Gell.
l. 1. Noct.
cap. 1.

stino extitisse. Ad elegantiam aulae, & curiositatem conuenarum hi gigantes erant; uti & ille, (si fabulosus non est) qui à Solino dicitur repertus *cubitorum trium atque triginta*: & illi *Indiae populi*, qui adeò proceri sunt, ut *Elephantos velut equos facillima insultatione transfiliant*. Ut autem ea præteream, quæ Thomas Fazelli *ἀυτόπλης* scribit, de gigantibus eorumque origine, quàm multa stupendæ magnitudinis ossa in Sicilia reperta sint; neque ea huc reponam, quæ ex Philostrato alijsq; solent recenseri de gigantis cuiusdam cadauere, quod duodecim, & alterius quod viginti duorum, & tertij quod triginta cubitorum fuisse fertur, enormitatis itidem prope modum fidem superantis: certè D. Augustinus testatur, se vidisse, in littore Vticensi molarem gigantis dentem, adeò magnū, ut dissectus ad formam & magnitudinem vſitatorum nostra ætate dentium centuplo maior potuerit iudicari. Quare utiq; & gigas ille, cuius dens tantus est repertus, centuplo maior fuit quàm homines, nostra ætate, vſitati. Si enim Pythagoras, *comprehensa mensura Herculanipedis, quanta longinquitas corporis ei mensura conueniret,*

vet, secundum naturalem membrorum omnium inter se competentiam, modificatus est: atque ita id colligit, quod erat consequens; tantò fuisse Herculem corpore excelsiorem, quàm alios, quantò Olympium stadium ceteris pari numero factis anteiret: cur non, eadem proportionis ratione habita, ita in modulanda status longitudinisque giganteæ præstantia fas esset ratiocinari? Plinius profectò ait, in Creta, dum terræ motu quidam mons disrumperetur, cadaver quadraginta sex cubitorum stans fuisse reperi- tum, quod alij Orionis, alij Otij fuisse cre- diderunt. Orestis etiam corpus, oraculi iussu refossam, cubitorum septem fuisse, historici tradunt. *Iam verò ante annos prope mille, ait idem Plinius, vates ille Home- rus non cessavit minora corpora mortalium, quàm prisca conqueri. Neuij Pollionis ampli- tudinem annales non tradunt. Sed quia populi concursu panè interemptus esset, prodigij vice habitum. Tantæ fuit, videre prodigiosè procerum, voluptatis.*

§. IX.

Gigantes esse terribiles.

Alij præter hos gigantes, sunt etiam ad utilitatem. Talem, ut paulò prius indica- uimus,

Plin. l. 7.
nat. hist.
c. 16.